

Am 20. Sept. 1711



1  
2  
3  
4  
5  
6  
7  
8  
9  
10  
11  
12  
13  
14  
15  
16  
17  
18  
19  
20  
21  
22  
23  
24  
25  
26  
27  
28  
29  
30



72

DISPUTATIO JURIDICA  
DE  
**COMMISSIS,**

UBI DE  
MERCIBUS  
**CONTRABANDO,**

vulgò

*CONTREBANDE* **Wahren/**

OLIM PRO LICENTIA

*HEIDELBERGÆ HABITA SUB PRÆSIDIO*

**HENRICI COCCEJI.**

J. U. D. ET PROFESSORIS.

Jam vero denuo Typis excusa.

---

Sumptibus Gottlob Ernesti Struntzi Quedlinburg.  
& Afcanienfis Bibliopol. Anno 1704.

ILLVSTRISSIMIS ET GENEROSISSIMIS  
COMITIBVS AC DOMINIS,

DN. JOHANNI  
ADOLPHO,  
DN. FRIDERICO  
MAURITIO,

Fratribus  
Germanis,

DN. ARNOLDO MAURITIO  
GUILIELMO,

COMITIBVS AC DOMINIS BENT-  
HELMII, TECKLABV RGI, STIN-  
FVRTI, ATQVE LIMBV RGI, DO-  
MINIS LINGÆ, RHEDÆ, WEVE-  
LINGHOVII, HOJÆ, ALPHENII  
ET HELFFENSTEINII,

&c. &c.

PRÆFECTIS COLONIENSIVM  
HEREDITARIIS.

DOMINIS SVIS CLÈMENTISSIMIS,  
GRATIOSISSIMIS.



**R**ubescerem profecto, Illustrissimi atque Ge-  
nerosissimi Comites, si tantorum benefi-  
ciorum, qua Clementia Vestra nostra in  
acceptis fert familia, haud memor vive-  
rem; sunt enim innumera; queis Proavus  
meus, Cancellarius olim Vester, & Pater, Consiliarius ac  
Satrapa, per integrum ferè tricennium gavisi sunt: Horum  
qui heres fuit, Frater meus germanus atque unicus, eundem  
Vestrorum quoque beneficiorum heredem esse, & cujus fa-  
milia successit, ejusdem quoque dignitati succedere voluistis;  
quin, quod omnium maximum est, quique ex summa Cle-  
mentia Vestra cumulus accedit, viro quoq; Parenti nostro  
ejus successionis spem fidemque dedistis, & adeò denique in  
ea gratia adversum nos persistitis, ut eam frater in hunc us-  
que diem haud satis depradicare possit. Iam igitur gra-  
tia clementiaque exhibita memoria, continuandaque fiducia  
devotissima adductus, me arum quoque partium esse humil-  
limus existimavi, Vobis, Illustrissimi & Generosissimi  
Comites, studiorum meorum sapius rationem reddere, &  
cùm eundem in finem nuperrimis vicibus Illustrissimis No-  
minibus Vestris Disputationem quandam Juris Civilis &  
Gentium, sub rubr. DE FUNDATA IN TERRITORIO ET  
PLURIUM LOCORUM CONCURRENTI POTESTATE, sa-  
cram fecerim, multò magis hanc In auguralem atque solen-  
nem, qua finem studiis meis Academicis imponit, iterata vi-  
ce Clementissimis atque Gratosissimis Dominis meis de-  
dicare ac consecrare. Accipite igitur, Illustrissimi atque

Generosissimi Comites, quâ soletis Clementiâ, hoc fidei obsequiique mei Argumentum, quo me quoque heredem parentis mei natu minimum, eâ, quâ par est, Veneratione cultu' atque obsequio committo, Deumque Ter Opt. Max. veneror, ut Illustrissimam gentem Vestram Nestoreâ per lustra salvam, incolumem, atque sospitem, ad uberrimum patriæ emolumentum & ad sempiternam sui ipsius gloriam tueatur atque conservet: quod calidissimis semper votis exoptat,

Vester

Illustrissimi & Generosissimi Comites,

devotissimus & subiectissimus  
servus

LUBERTUS EREWINUS JCONIUS de FOLCKERS.



1.

**C**ommissorum materia frequens ac utilis est, nec controversiis vacua lateque adeo patet, ut non modo in vectigalibus, sed & in bellis, in feudis, in Emphyteutibus, quin in omni propè genere contractuum aliqua de Commissis tractatio sit. vid. *ihes. seq.* sed cum hæc integri operis non disputationis materia sit, hac vice de mercibus saltem, quæ ob non solum vectigal, vel quia prohibita sunt, in commissum cadunt, quæ posteriores *contra-bando* vulgò dicuntur, eaque duæ species invicem affines sunt, quædam agere propositum est.

2. Inter varias autem significationes vocis *committi* una valde est singularis ac elegans, sed juri magis propria ac in legibus Romanis frequentissima, quæ pœna, stipulatio, lex, edictum, et a que committi dicuntur, eamque talem esse putamus. Committuntur scilicet ea quæ contraria sunt, tunc cum facultas in invicem agendi incipit. Ita pugna & prælium committi dicitur, cum duo exercitus signum pugnae expectantes & in id quasi suspensi, eo dato concurrere incipiunt; ceu de pugnis ludicris loquitur Virg. 5. *Aeneid. vers. 113.*

*Et iuba commissos medio canit aggere ludos.*

Eodemque sensu, cum fingit unam Furiarum Aleto, bellum inter Latinos & Trojanos, qui hætenus adhuc abstinerant à vi, accendisse & classicum cecinisse, ait 8. *Aeneid. vers. 542.*

*Prima commisit funera pugna.*

Et in pugnis bestiarum committi illæ dicuntur. Atque ita apud alios passim commissa pugna & commissum prælium legitur, cum partes ad pugnandum vel præliandum committuntur.

3. Ad ejus imitationem negotia quoque civilia nonnunquam committuntur, illa scil. quibus jus aliquod nobis datur defendendi & quasi armandi nostri causâ adversus alium; v. g. cautio seu stipulatio, pœna, lex, edictum &c. illa enim imaginem quandam pugnae commissæ præ se ferunt duobus modis: I. Cùm ipsa negotii species dicit seu significat talem congressum & quasi pugnam unius contra alium, uti cùm Prætor dat liberis edictum bonorum possessionis **CONTRA** tabulas, in quibus præteriti sunt; illud enim committi rectè dicitur filio præterito, quia expresse contra tabulas, in quibus præteritio facta, sive contra præteritionem in tabulis factam datur. Si igitur filius præteritus est in tabulis contra edictum, hoc committi dicitur tum, cùm filius præteritione facta incipit agere posse; Uti pugna commissæ dicitur, cum partes signo dato congredi possunt. Atque ita edictum hoc contra tabulas committi dicitur *in l. 8. §. 11. l. 10. §. 1. §. 4. §. 5. l. 11. & pass. ff. de bon. Poss. cont. tab. l. 14. princ. l. 16. ff. de leg. præst. l. 3. ff. de dot. collat. l. 1. §. 2. ff. de Conj. cum emanc. lib. & alibi.*

4. At edictum **SECUNDVM** tabulas nunquam dicitur committi; uti nec edictum unde liberi, nec alia Edicta bonorum possessionis, quorum formula hujusmodi collisionem & contrarietatem non continet, nec enim in eorum specie quicquam adversus edictum, sed potius juxta illud actum, scil. heres institutus aut saltem non præteritus fuit. Non ergo illa committi dicuntur, sed solum edictum contra tabulas aut quod ad ejus imitationem introductum est, & in eo solo leges hac loquendi formula utuntur.

5. II. Committi tale jus dicitur, cùm à casu vel facto quodam agendi ex eo facultas suspenditur: in momento enim, quo id factum vel casus existit, quasi signo dato, incipit agendi in invicem & congrediendi facultas, atque ita in momento illo committuntur partes, ut quasi in pugna litem conferere possint. Hujus igitur facti vel casus momentum est, quasi

claf.



clasticum & signum illud quo dato rectè dicitur five partes litigantes committi in negotio, uti partes pugnantes in prælio, five ipsum negotium aut jus committi, uti ipsa pugna.

6. Ita omnis stipulatio conditionalis dicitur committi existente conditione per §. 4. *Inst. de verb. obl. l. 63. l. 122. §. Agerius 4. ff. eod. adde rubr. C. de contrah. & committ. stipul.* Et si enim in ipsa formula nulla sit collisio vel pugnae species, hoc tamen sensu committi dicitur, quia, cum ante existentem conditionem congruere iudicio non possint, ea autem existente possint, in hoc momento committitur stipulatio, uti pugna in momento dati signi: utrobique enim partibus ex eo signo ac momento certandi, vel manu vel iudicio, copia est.

7. Id clarius quoque est in casibus, quibus jus agendi suspenditur à facto aliquo, quod contra jus illud patrat, & cui, ne fieret, jus illud directo oppositum fuit; adeo, ut uterque modus quodammodo hic concurrat. Uti, cum poenam stipulor si adversus promissum feceris: in puncto enim, quo contrarium facis, committitur poenae stipulatio, seu ita incipit ut ex ea contra te agi possit. Atque ita dicitur committi five stipulatio; in §. *alteri 19. Inst. de inut. stip. l. 38. §. 17. ff. de verb. obl. l. 115. per tot. ff. eod. five poena; in d. l. 38. §. 23. l. 2. §. ult. l. 4. §. 1. l. 5. §. ult. ff. eod. l. 3. princ. l. 7. §. fin. ff. de rec. arb. §. si quis agens. 3. in fin. Inst. de act. ubi tripli condemnatio dicitur pro tripli poena. five ipsa obligatio; in l. 1. §. ult. ff. de stip. serv. ubi pessimè Codices posteriores loco commissa substituerunt promissa.*

8. Quin idem quoque contingit, licet occultius in formula: *habere licere, vel, ire agere licere spondes?* perinde enim est ac si sponderes nullius facto me impeditum iri, quo minus habere vel ire agere possim; nec ex eâ stipulatione agi potest, nisi cum aliquis contra datam hanc licentiam facit meque impedit. In momento igitur quo adversus id fit, oritur agendi in alterum copia, & ideo committi tunc dicitur stipulatio in l. 38. in princ. & §. 3. §. 4. §. 5. §. 6. §. 20. ff. de verb. obl.

Qua

Qua ratione idem statuendum est in quavis stipulatione negativa, seu, ne quid fiat: non enim committitur illa nisi factum aduersus eam fuerit. Sed & cautiones iudicatum solvi, rem ratam haberi, damni infecti &c. committi dicuntur in *l. 2. §. 2. ff. de stipul. prat. l. 17. ff. jud. solvi*. Quia illa ab eventu sententiæ, ista à facto domini contravenientis, hæc à casu ædium pendet, & sic porrò. Ita stipulatio duplæ, vel alia de evictione omnino quoque committi frequentissime dicitur in *l. 21. per tot: l. 22. in princ. l. 24. l. 28. l. 33. l. 35. l. 39. §. 1. l. 41. l. 55. l. 71. & pass. ff. de evict.*, quia & instar pœnæ est, & tota dependet ab eventu evictionis.

9. Sic Ciceroni *Orat. 6. seu 1. in Verr.* hereditas quoque commissa dicitur, quæ ea lege data erat ut Veneri cederet, nisi heres statuam ei erexisset eique legi satisfactum negabatur, uti casum ipse Cic. refert in *Orat. 7. seu 2. in Verr.* Ita cum emtio ea lege contrahitur, ut nî precium certo die solvatur, inemptum sit, precio non soluto lex emtionis commissa intelligitur, indeque ea lex commissoria appellatur. *tot. tit. ff. de Leg. Commiss.* Eademque ratione pignus commissorium dicitur, quod tamen jure illicitum est. In his enim casibus lex, seu pœna, seu cautio præstatur aduersus id, quod injunctum est, eo igitur facto lex, quæ ei opposita est, in instanti illo committitur, ut inde contra alterum tunc agi possit.

10. Hinc vero patet 1. Stipulationes puras & simplices, in quibus scilicet, nec collisio talis est nec suspensio à facto vel casu, sed nuda promissio, v. g. *decem dare spondes*? non committi aut commissas dici, uti nec leges ullibi loquuntur. Non enim pugnæ commissæ speciem refert sola promissio pecuniæ, cum nec in ipsa formulâ speciem veniatur collisio, nec eventu aliquo, ceu signo, incipiat agendi licentia, sed statim, ex ipsa stipulatione oriatur; quæ proinde non committi, sed ex eâ deberi dicitur. 2. Reliqua verò negotia, quæ nudam commutationem juris inferunt, ne quidem committi, etsi conditio adjecta sit, uti emtio, legatum

tum &c. quia illa demum negotia committuntur, ut §. 3. diximus, quæ inventa sunt ad contractus v. g. defendendos, uti cautio, vel lex contractui adjecta &c. non autem saltem ad contrahendum vel agendum. Igitur emptio vel legatum non dicitur sub conditione committi, sed tunc inde deberi. 3. Ne illas quidem stipulationes committi, quibus tacite conditio tantum inest ex parte objecti, v. g. *fructus nascituros*, quia ipsum negotium seu stipulatio pura est, quæ nec collisionem in se continet, nec ipsa à casu vel facto suspensa est, adeoque commissa non dicitur. 4. Idem ob eandem rationem esse in stipulatione in diem, quæ non potest videri commissa existente die, quia jam ante negotium cœpit & dies statim cessit, sola autem solutio in diem tantum collata est, de qua non dicitur, quod non committatur, sed de negotio ipso, exemplo pugnæ. Neque ullibi hæc stipulationes commissæ dicuntur.

11. In omnibus autem commissi casibus 1. committi dicitur ipsum negotium, seu jus, v. g. stipulatio, edictum, lex &c. Atque ita cum pœna committi dicitur, intelligitur exactio pœnæ, seu jus ejus exigendæ, & obligatio commissa pro jure ejus, uti in legibus hæc voces jus ipsum communiter notant. 2. Committi autem id jus dicitur ab eo, vel per id, quod proxima causa est, utagi ex eo possit; veluti stipulationes, contra quas factum fuit, committere dicitur is qui contravenit; stipulationes conditionales ipsa conditio; Edictum contra tabulas existentia filii præteriti. Unde, etsi bonorum possessio contra tabulas, filio præterito, etiam aliis detur, qui suo jure eam non habent, non tamen per hos, sed per filium tantum committi edictum dicitur. 3. Ei denique committi negotium dicitur, qui agere inde potest, quæ omnia ex allegatis hæcenus locis manifesta sunt.

12. Hinc vero patet, quid sentiendum de illa, quam post D.D. affert Bachovius in §. 4. in fin. *Inst. de verb. obl.* explicatione. Ille enim committere hic idem esse vult, quod delinquere

quere, & ita dici, quia committitur seu delinquitur in legem stipulationis &c. indeque tropicè dici ipsam stipulationem committi. Verùm nullâ figurâ fieri potest, ut stipulatio aut edictum delinqui; ut conditio aut existentia filii præteriti delinquere; nedum ut talis conditio vel existentia delinquere stipulationem aut edictum; vel pœna delinqui aut aliquis delinquere pœnam dici possit &c. uti omnibus his casibus *committi* &c. *committere* dicitur. Sed nec semper in materia commissi agitur de delicto; v. g. quando committitur stipulatio ob solam conditionis existentiam.

13. Hæc nova interpretatio paulò fufius deducenda fuit, unde jam apparet, cum in feudis ea lex fit, ut propter feloniam domino aperiantur, feudum re. &c. Commissum dici in momento, quo tale quid contra dominum factum fuerit. Idemq; est in Emphyteusi. Atque ita cum variæ sint leges, conditiones, ac jura fisci in mercibus vehendis, quibus illæ caducæ fiunt, v. g. si vectigal pro iis non solvatur, si merces prohibita sint inferri, si non ab eo emta à quo debent; in momento quo horum aliquid contra legem fisci fit, quasi signo dato, incipit jus eas fisco vindicandi, quod proinde jus optimè commissum dicitur. *rubr. ff. de Publ. & vect. & Comm.* quanquam & ipsæ merces commissæ dicantur *in l. ii. §. 2. ff. d. tit.* & mancipia commissæ *in l. fin. §. 2. ff. eod.* id est, mercium & mancipiorum persecutio, seu jus ea persequendi; eodem scil. sensu, quo pœna commissæ dicitur. *sup. §. II.*

14. Est itaque hujus commissi (reliqua enim nunc mittimus) species triplex. Prima quando vectigal non solvitur ex mercibus, unde debebatur, Græcè *αλεπτοσελώνημα*: quæ species fatis nota est. *d. l. ii. in princ. l. fin. ff. eod. l. 2. C. de comm. & mercat.* Altera, quando merces prohibita inferuntur, quæ dici solent *Contrabando*, quod denotat prohibitum, seu legi aut edicto contrarium; cum *bando* Italis legem aut edictum significet; in specie quidem quod per Præconem publicatur, sed quo  
& ge-

& generalius utuntur. Quenam autem proprie sint merces *contra bando*, vide *inf. thes. 17. & seqq.* Tercia, quando fisco aut alij Monopolium ex iusta causa quaesitum est, & non ab eo, sed ab aliis merx, quæ, eò pertinet emitur. *l. 11. C. de vect. & commiss.* Vel vice versa, quando Monopolium illicitum exerceatur, quippe quod, etsi iure naturæ non sit vetitum, iure tamen civili regulariter ob publicam utilitatem prohibetur. *Ord. Pol. 1577. tit. 18.*

15. Merces in commissum cadunt regulariter omnes, quarum professio omiſſa fuit; *l. 20. §. 3. & §. 12. ff. de Publ. & Vect. l. 3. C. de Vect. & Comm.* nisi in specie vel quædam inde exceptæ atque immunes, vel dominus earum à pœna privilegio defensus est. Merces exemptæ atque immunes sunt (1.) Expositæ propter necessitatem adversæ tempeſtatis. *l. ult. §. 8. ff. de Publ. & Vect. l. 1. C. de Naufrag.* Quod merito quoque extenditur ad onus, quod metu Piratarum, aliæve vi majore ac necessitate exponitur. (2.) Quæ naturâ hominibus competunt; ea enim nequidem veræ merces sunt: Unde improbat Plinio, quod pro umbra, pro aëre &c. vestigial exactum quondam fuerit. *lib. 12. Hist. nat. c. 1. Cnj. 10. obs. 7.* (3.) Res quæ nunquam præstitum, dummodo id non contigerit negligentia Publicani &c. *l. 9. §. 8. ff. de Publ. & Vect.* (4.) Res exercitui paratæ *l. 9. §. 7. de Publ. & Vect. Reichs-Abſch. 1530. §. Ferner ist für gut 20. 178.* (5.) Res quæ ad rem rusticam sive agriculturam pertinent *l. 5. C. cod.* (6.) Res pro usu familiae comparatæ *d. l. 5. l. 4. §. 1. ff. cod.* Unde deducit Hahnus *ad Wesenb. cod.* illud quoque vestigiali ob noxium esse, quod quis domus suæ ædificandæ vel reficiendæ causâ vehit. Verum quod hæc constitutiones his casibus hodierno iure vix observentur, tradit idem Hahnus *cit. loc.* (7.) Pecunia numerata, quæ nec ipsa merx est. *arg. l. 1. primo. ff. de rer. permut. Klock, de jur. Vect. thes. 60.* (8.) Servi fugitivi. *l. ult. §. 4. ff. de Publ. & Vect.* Hactenus de rebus.

F. 16. Personas quod concernit, excipitur atque immunis est  
 (1.) Fiscus; non verò tertius, qui à fisco rem emit, aut qui de  
 fundo fiscali mercatur; *l. 5. C. junct. l. 9. §. ult. ff. d. Publ. &  
 Vect.* ex hac ratione, si alius, quam fiscus vectigalia locaverit,  
 is haud immunis erit à vectigalium præstatione, sed condu-  
 ctori solvere tenebitur, quemadmodum ex *Palador. rer. quotid.  
 l. 1. cap. 3. §. 1. num. 32. refert Hahn. ad Wesenb. eod. tit. num. 4.* (2.)  
 Præsides, res in usus suos advehendas sibi mandantes, qui asso-  
 lent libellum dare, in quò res descriptæ sunt, ita tamen, ne quid  
 amplius quam mandatum est, transferatur. *l. 4. §. 1. ff. eod.* (3.)  
 Legati devotarum gentium, ratione rerum licitarum, quas  
 ex Romano solo ad suos deferunt, non, quas ex locis pro-  
 priis Romam. *l. 8. C. eod.* (4.) Navicularii, modò sibi rem ge-  
 rant. *l. 1. C. de Navicul. l. 6. in fin. C. de Vect. & Comm.* (5.) Studiosi  
*Auth. Habita C. Ne filius pro Patre.* Quousque autem & quomo-  
 do hocce privilegium hi observare debeant, vid. *Sichard.  
 ad alleg. Auth.* (6.) Clerici sive personæ ecclesiasticæ; *l. 5. C.  
 de SS. Eccles. Auth. Item nulla communias C. de Episc. & Cler. cap.  
 4. de Cens. in 6. adde Clement. Presenti. eod. adeò, ut nonnulli  
 Practici hoc privilegium extendant ad eos etiam Clericos,  
 qui in anno probationis versantur. cap. 21. vers. quam vis de  
 sent. excomm. in in 6. Roland. à Vall. Conf. 71. n. 1. vol. 4. Roland.  
 in. Conf. 112. vol. 5. Villob. Comm. opin. verb. Gabella n. 1. Bersach.  
 p. 7. n. 56. sed capitulum hoc in ipso textu nihil horum comme-  
 morat. (7.) Cæterum hodiè Electoribus & Statibus Imperii  
 horumq; Legatis & Consiliariis competit immunitas, dum ad  
 Universalia vel Particularia Comitia proficiscuntur; *A. B. c. 9.  
 §. 2. Instr. Pac. Art. 25. R. A. zu Augspurg Ao. 1500. §. Item sol-  
 len. R. A. zu Wormbs Ao. 1521. §. Item, sollen auch von Ordnung  
 des Regiments quibus hæc immunitas data, & peculiari Edi-  
 cto, quod exhibet *Friisch. part. 2. Elect. Jur. Publ. c. 5. An. 1606. à  
 Gloriosiss. nostro Leopoldo confirmata est* (8.) Camerales  
*Ord. Cam. p. 1. tit. 49. R. A. 1654. §. hingegen: 141. Mores in quibus-*  
dam**

dam speciebus hodie variant, qui in singulis locis attendendi sunt. *l. 4. §. ult. ff. de Public. & Vect.* Quædam verò sunt personæ, quæ non sunt ita plane immunes, sed in commissum quidem non incidunt, at vectigal tamen adhuc solvere debent: uti milites. *l. 3. C. de Vectig. & comm.* Item Pupilli, qui tamen, si intra trigefimum diem non inferant, adhuc commissio obnoxii sunt. *l. 7. §. 1. ff. eod.* Minores denique in integrum restituuntur contra jus commissi; si non dolus ipsorum interveniat. *l. 9. §. 5. ff. de Min. Schænborn. 4. Polit. 27. Sixtin. de regal. n. 46.* quod proinde remedium pupillis quoque post trigefimum diem competere asserimus.

17. Merces prohibitæ duplicis generis sunt. Quædam enim ita prohibentur, ut commercio earum cum aliis populis, Regnis aut civitatibus interdicator, quas scil. vel ex here ad alios, vel advehere non licet; uti quæ Barbaris, vel Hostibus, vel alii populo vendi non possunt, & hæ merces dicuntur in specie *contra bando*. Quædam autem merces prohibentur inter privatos ipsos, qui eidem territorio subjecti sunt, uti fruges in herba &c. quarum prohibitio non est inter populos diversos, nec earum exportationem aut importationem spectat, sed est inter ejusdem populi vel civitatis subditos, sive inter privatos.

18. Prioris generis merces prohibitæ, seu *contra bando*, variæ sunt: Quædam enim nullis Barbaris vendi possunt, etsi non sint hostes, uti Instrumenta bellica, vel eorum materia. *l. 2. C. que res export. non deb.* Item vinum oleum, similiaque liquamina *l. 1. C. eod.* Item sericum à Barbaris comparere veritum, *l. 2. C. que res ven. non poss.* aut murice tinctum, vel aurum vendere. *l. 1. C. eod. l. 2. C. de comm. & merc.* Cum Persis in specie omni commercio ultra loca excepta interdictum Romanis fuit. *l. 4. C. eod.* Hostibus verò non modo arma, cotes ferro subigendo, quæque in solo bello usum habent, sed etiam ea vendi prohibentur, quæ etsi usum etiam extra bellum habeant, hostibus tamen ad resistendum proficere possunt, uti

frumentum, sales aliaque victualia ac vetitā. *l. 11. princ. ff. de publ. & vect. c. 6. c. 11. c. 12. c. 17. x. de Judais. Extrav. Copiosus eod. tit. c. 1. Extrav. comm. eod. tit.* Hæc simpliciter dicuntur vetita dictis canonibus.

19. Atque ita subditis carum rerum, quæ usum in bello habent, commercio ex jure positivo interdictum esse dubitari nequit. Quæstio autem est insignis, An liberi quoque Principes ac pacati prohiberi possint, cum hoste nostro commercium harum rerum instituire, easve iis vendere? Sæpissimè id inter arma disceptatum acerrimè fuit, argumentis in quæstione tam ancipiti, prout utilitas suasit, utrimque facite inventis. Utraque scilicet pars jus gentium, & ex eo altera belli, quo missa ad hostes intercipere liceat; altera jus & libertatem commerciorum prætexere solet. Illud à Danis, hoc ab Imperatore allegatum apud *Meurf. in hist. Dan. l. 2.* Item illud ab Anglis, hoc a Polono, & Hanseaticis in Germania defensum apud *Cambden, ad ann. 1589. 1595. & 1597.* ubi Sigismundi Regis Poloniæ legatus, Paulus Dzialinus ab Elisabetha Angliæ Regina, quæ Polonorum naves ad hostem Hispanum cum commeatu missas interceptit, admittus exclamat, jus gentium violatum, commercia prohibita, bona in fiscum rapta. Cui Regina objurgato, Heraldicam non legati vocem esse, graviter respondet, *auxilia vel subsidia ad hostem missa alteri intercipere licere, & providere, ne damni quicquam inde sibi existat. Hoc natura & gentium juri esse consentaneum.* simulque provocat ad exemplum ipsorum Poloniæ & Sueciæ Regum, qui idem in bellis, quæ cum Moscovitis gesserant, factitarint, posteaque addidit: *à natura comparatum esse, ut quisque se defendat, istamque legem non scriptam, sed notam esse, &c.* *Cambden. ad. d. ann. 1597.*

20. Et sanè rationes juris gentium videntur hic valdè collidere; nam & polonus ferrè Regiæ rationem retorquere inde potuisset; Sibi quoque ead em ratione & lege jus suum com-

mer-



merciorum defendere licere. Jus verò allegatum tantum in hostes, non in amicos & pacatos; in eos, cum quibus bellum, non cum quibus pax esset, obtinere. Et aliàs Polonis commercia non modo cum Hispano, sed & cum ipsis Anglis evitanda esse, eodemque jure Hispanum naves eorum capere posse, quod cum Anglis commercia agerent; cum Polonis cum neutra parte aliquid negotiū, sed inter utramque illi medii fuerint. Sic verò in proclivi esse uni populo bellum ciendo, hujus juris prætextu totius Europæ commercia turbare ac sistere.

21. E contrâ nihil absurdius videri possit, quam eum, qui hostem exercitu suo cinctum aut urbem obsessam habet, eoque fame adigit, ut jam jam dedicio facienda, viam hoc prætextu dare teneri mercatoribus, qui clausam urbem intrent, commeatum vendant, atque ita eam prope victori eripiant, aut, ni faciat, jure bellum ei inferri posse. Neque adeò satis constitui posse videtur, num ratio juris gentium pro servandis obsessis, an pro juvandis aggressoribus; num pro commerciis, an pro bello potior sit.

22. Doctissimus Grotius in præclaro tractatu de i. B. & P. lib. 3. cap. 1. §. 5. distinguit inter res, quæ tantum in bello usum habent, uti instrumenta bellica &c. quæ simpliciter vetita & contrabando esse statuit; & inter res quæ usum quidem in bello, sed tamen & extra bellum habent; & horum commercia non posse impediri magis probat, eamque in rem varias autoritates & edicta fœderati imprimis Belgii allegat d. §. 5. in not.

23. Verùm rationes juris gentium ante allegatæ in utraque specie omnino eadem esse videntur: Nam & libertas commerciorum in utraque merce impeditur, sive arma sint, sive aliud genus commeatus, ut patet; & utrâque bellum æque instruitur; cum commeatus æque ac arma in bello necessarij sint & vires hostium non minus fame ac inopiâ expugnari queant, quam vi ac ferro. Sive igitur armorum commercio dicatur

atur resistere jus belli, ne iis hostis juvetur, idem erit in frumento aliisque, quibus non minus hostium vires sustinentur ac armis; sive frumento vendendo prætexatur, jus commerciorum idem erit in armis. Atque ita non auctoritates modò variaque Edicta, sed ipsa quoque gentium jura collidere hic videntur.

24. In hoc conflictu retinenda omnino est decisio quam Excellentissimus Vir Dn. PRÆSES in Prælectionibus ad Grot. d. §. 5. dedit. Nim. cum omnia illa belli jura occidendi, vastandi, &c. quæ extra bellum meræ injuriæ sunt, solâ necessitate juris nostri tuendi ac recuperandi defendantur, idque utraque pars belligerantium pro se & contra alterum afferat; hinc sequitur, Principem omnia ea facere posse sine quibus defendere tale jus suum nequit, ac remove impedimenta, quæ defensionis huic resistunt. Quod & in aliis casibus contingit; si enim te invasurus, cum gladium non habeat, abadstante eum emit, hic quidem jus vendendæ rei suæ habet, eoque jure suo uti potest; sed tamen & tibi, si, ne vendat, vel venditum tradat, impedire poteris, pro defensione tuâ id permittitur. Sic & in eum, qui hosti tuo ex fœdere & pacto obligatus est assistere vel auxilia mittere, si pacto satisfaciat, atque ita jure suo agat, tibi tamen in eum vel ejus auxilia jus belli competit. Quinimo, Principe bellum in te movente, in omnes ejus subditos, tanquam hostes, agere poteris, etsi non modo hi jus habeant sequendi Principem in bello, sed etiam omni jure teneantur. Adeo scil. defensio sui suorumque jurium lege naturæ concessa atque munita est, ut quicquid eam impedit, etsi id in se aliàs justum sit, removeri tamen e medio possit.

25. Eâdem igitur ratione pars belligerantium jus commerciorum impedire potest, si hostium vires eo ad resistendum augeantur, defensioque juris sui, quod asserit, impediatur. Neque ergo inter arma aliumque com meatum distinguo, sed quic-

quicquid usum in bellis habet, etsi & extra bellum, contra bando esse, atque ideo impediri posse, ne ad hostes deferatur, statuo. An autem ipso jure committatur, deinceps videbimus. Hinc vero patet, ea quæ nullum in bello usum habent, sed luxum tantum instruunt, & feritatem potius excutiunt, mollietiemque inducunt, contra bando non esse. *vid. Grot. d. §. 5.*

26. Sunt etiam aliæ merces contra bando, quas lege aut statuto regni evehere vel advehere non licet, *l. un. C. de litt. cust.* uti in Imperio exportatio lanarum certo modo prohibita, *R. I. 6951. §. 179. Ord. Pol. 1577. tit. 22.* Talia plurima sunt statuta in Regnis Galliæ, Angliæ, aliisque quibus pœna statuto adjici solet, & plerumque est pœna commissi. Et hætenus de mercibus *Contra bando.*

27. Merces inter privatos prohibitiæ itidem varii generis sunt: Ita vetitum Pagano vel Judæo servum Christianum vendere, *102. tit. C. Ne Christ. manc.* Nec venenum vendere licet *l. 35. §. 2. ff. de Contr. emt. l. 3. §. 1. ad L. Corn. de Sic.* sine consensu scilicet Magistratus; *Ord. Car. art. 37. §. fin.* nec frumentum publici Canonis, *l. pen. C. Qua res ven. non poss.* aut quod exercitui mittitur; *l. ult. C. eod.* nec arma *ex Nov. 85. c. 3. Conf. l. 12. §. 1. ff. de Remil.* Judæus non potest vendere aut cedere actionem suam Christiano contra Christianum. *R. I. 1551. §. 79. in fin. Ord. Pol. 1577. tit. von Juden 20. §. 4.* De pannis quoque cum variatum antea fuisset, *vid. d. R. I. 1551. §. 73. seqq.* quid tandem constitutum & quomodo vendi debeant *vid. d. Ord. Polit. tit. 21. ubi etiam §. 3. prohibentur colores pannum corrodescentes, in specie die Teufels-Farb.* Add. *l. 1. C. de Vest. hol.* Sic etiam Crocus unctus, Zingiberi tinctum, aliaque aromata fucata adulterataque vendere prohibetur in *d. R. I. 1551. §. 85. & 86. & d. Ord. Polit. tit. 24.* utri & fruges in herbis & vinum in uvis, *d. Ord. Polit. tit. 19.* vina diluta vel alias temerata. *d. Ord. tit. 16.* Atque ita variis locorum statutis aliæ quoque merces prohibentur.

28. In tertiâ specie Commissi hætenus nulla est difficultas, sed

ea tantum merces veniunt , in quibus Monopolii privilegium competit ; vel injustum Monopolium exercetur. *de quo in variis Rec. Imp. & Ord. Pol. dic Monopolia oder schädliche fürkauße betreffend. l. un. C. de Monopol.*

29. Non tamen omnium harum mercium lex ea est, ut ipsae in commissi causam cadant, sed alia pœnae nonnunquam committuntur. Imprimis enim, si earum professio non dolo omittitur, sed culpa seu errore, uti, si nescivit solvendum esse vectigal, cum tamen scire deberet, dupli pœna locum habet, per *l. ult. §. 10. ff. de Publ. & Vect. Conf. d. l. ult. §. 5.* Ubi dubium videri posset, quando latâ culpâ negligitur vectigalis solutio, mercesne committantur an duplum? Dicimus verò duplum committi, non merces, neq; hoc casu latam culpam pro dolo haberi, ubi gradus pœnarum in aliquo negotio est, cum dolus gravior sit culpâ. Vid. omninò Ampliff. Dn. PRÆSIDIS *Coll. jur. imprimis Coll. II. §. 21. & Collat. 3tiam decimam §. 4.*

30. Contra venditionem autem mercium, quas à subditis vendi prohibitum est varia pœnae statutæ sunt, uti cum arma, cotes ferro subigendo necessariae, ferrum, frumenta ac fales hostibus vendunter pœna capitis sancita est in *l. 11. pr. ff. d. Publ. & Vect.* sed & aliis casibus, quibus, merces Barbaris vendi prohibitae sunt, gravissimæ pœnae fortunarum & capitis constituuntur. in *l. 1. l. 3. l. ult. C. Quae res ven. non poss. l. ult. C. Quares exp. non deb. l. 2. C. de Comm. & merc.* Jure Canonico etiam ex communicatio injuncta est. *vid. alleg. sup. §. 17.*

31. Commissi autem pœna primò locum habet in primâ specie, quoties vectigal dolo non solvitur. *rubr. & p. ff. & C. de Publ. & Vect. & Comm.* In alterâ specie merces prohibitæ itidem regulariter in Jus commissi incidunt, *l. 11. §. 2. verb. commissis mercibus ff. de Publ. & vect. l. 1. ff. de his quæ ut in ind. l. 3. C. de Naut. fœn.* etsi pœna quoque capitalis constituta quandoque sit: *d. §.*

d. §. 2; uti & quando cum gente, cujus commercium interdictum est, negotiatio fit, l. 4. C. de Comm. & Merc. vel servus Christianus circumcidendus venditur. l. 1. C. Ne Christ. manc. Quin & iis mercibus quæ Reccessibus Imperii & Ordinationibus Politicis vetitæ sunt, lex Commissi addita est, uti cum actio à Judæo contra Christianum à Christiano emitur, & reliquis speciebus sup. §. 27. allegatis. vid. Ord. tit. 16. verb. nicht allein mit Verwirckung und Confiscirung des Weins tit. 19. §. 3. verb. daß solcher Abtänffer die Hauptsumma verlohren/ tit. 20. §. 4. tit. 21. §. 2. verb. bey Straff und Verlichung desselben Zuchs/ & §. 3. 10. neben confiscirung desselben Zuchs tit. 22. §. ult. verb. mandata mit Confiscation &c. tit. 24. bey pœn derselben Verwirckung und Confiscation &c.

32. In tertiâ quoque speciei utroque membro regulariter commissi pœna est; sive enim quis vendat, aut faciat, cujus vendendi vel faciendi jus non ipsi, sed soli fisco, aut aliis tantum competit, totum illud commissio vindicatur. l. 11. C. de Vect. & Comm. sive monopolium alicujus non jure exerceat, merces itidem, quin omnia ipsorum bona, commissio cadunt. l. un. vers. si quis. C. de Monop. Ord. Pol. 1577. tit. 18. §. 2. & §. 4.

33. Committuntur autem hæ merces ipso jure, dominumque earum, etiam sine apprehensione earum, rei vengigali statim acquiritur, l. 14. ff. de Publ. & Vect. Non tamen in eo viâ facti, sed viâ juris procedendum, & causa primùm cognosci, eâque cognitâ executio ritè fieri, possessioque avocare judiciali ordine debet. Gail. 2. Obs. 51. Brunnem. ad d. l. 14. n. 2. Neque concedimus generaliter juri commissi in Imperiò derogatum esse, etsi forte quorundam locorum statutis aut moribus quadruplum, ut jure Saxon. (quod tamen nec in Saxonia ipsa observatur, teste Kopp. Decis. 50. n. 8.) vel alia pœna substituta sit.

34. Cum verò §. 24. *sub.* probatum fuerit in bello quoque prohibitum jure gentium esse merces, quæ usum in bello habent, hostibus deferre. Hinc quæritur, I. An, quæ deferuntur, ipso jure quoque statim commissio aut prædæ cedant? Neg. Nam id demum ex rationibus allatis sequitur, posse earum delationem jure belli ac defensionis impediri, non autem ipsas jure belli à pacatis illico adquiri. Verum si denunciatio facta fuerit à parte sub lege commissi, ne ad hostem tales merces devehantur, committi eas statuimus. Et hætenus verum est, quod *Grot. d. t. 1. §. 5.* ait, significationes fieri debere; nam, qui nihilominus eas hosti advehit, quodammodo hostem se declarat, & aliter illæ advectiones vix bello impediri possent, nisi merus commissi abstereret: cumque parti impedire illas negotiationes cum hoste liceat, ut antea ostensum, jure hoc suo cum effectu uti & ea facere potest sine quibus commodè impediri non possunt: quod & Regina Angliæ in superiore specie apud Cambdenum allegavit.

35. Porrò quæritur II. An commissis mercibus etiam navis committatur? Qua in re nos ita distinguimus, ut, si pœna committatur ex capite prohibitarum mercium, regulariter navis quoque causam mercium sequatur. *per l. 11. §. 2. ff. de Publ. & vect. l. 3. C. de Nav. fan.* quia lex commissi est, ne merces tales eò negotiandi causa vehantur; quæ lex & merces, quæ vehuntur, & navim quæ vehit complectitur, ipsaque vectura talis prohibita est. Si tamen absente & ignorante domino merces tales impositæ fuerint, ex æquitate navis domino restituitur. *d. l. 11. §. 2. vers. Quod si absente.* Si verò ex capite neglectæ professionis mercium, navis commissio non tollitur, sed solum onus, quia lex commissi, nî vectigal pro mercibus solvatur, ad navem non pertinet. Atque hoc etiam patet *ex l. pen. §. ult. ff. Locat. cond.*

*romæ*, ubi solum opus impositum in commissum cecidit, navis autem adeo salva fuit, ut etiam ei merces conductionis deberetur; non enim ibi pœna commissæ fuit, quod merces vetitæ delatæ aliquò fuerint; nam oleum & frumentum impositum erat Aquilejam deferendum, quod utique licebat, cum Aquileja urbs & Colonia ipsorum Romanorum non hostium vel Barbarorum esset, adeoque alia causa ordinaria ibi esse non potest, quam quòd conductæ merces profectus non fuerit. Nec impedit quod navi conductæ usus nauta fuerit, quia in commissio mercium veritarum nihil interest, conductæ an propriâ navi merces devehantur; sed tantum dominus ejus absens fuerit, an non, *d. l. II. §. 2.* Idemque, quod de navibus diximus, in plauftris quoque obtinebit.

36. Quæritur III, An, si merces licitæ & illicitæ simul navi imponantur omnes commissio vindicentur. Neg. quia lex in illicitis tantum non in licitis commissio est. Neque hæc, sed illæ tantum eâ lege affectæ: tritumque est, utile per inutile non vitiari, nec pœnam esse, nisi ubi vitium est. *Fac. l. 8. §. ult. ff. de Publ. & Vect. conf. §. 40.* Omnino igitur falsum est, quod quidem opinantur jure civili licitas quoque committi, quod pœne contradictorium est. Neque obstant *l. 11. §. 2. ff. de Publ. & Vect. c. l. 3. C. de Navis. sen.* Nam neutra de mercibus licitis, sed utraque de vetitis agit, & quæsitum saltem fuit, an cum illicitis mercibus etiam navis (non verò merx licita) commissio cedat; quod affirmatur, ut diximus, quia illicita vectura navem quoque vehementem comprehendit. Idem est, si vectigal non solvatur, cum merces munes & immunes in navi fuerint. Quod si tamen separari nequeant, omnes in commissum cadere voluit *Wiss. in ff. pars. 2. Disp. 15. §. 25. post. Barr. ad d. l. II. Afflict. de Vectig. n. 65. Sixtin. de Regal. c. n. 191. Joh. Ferrar. in Praxi tit. 29. De mori-*

moribus & Ediētis Belgii vid. *Wissenb. d. l.* ubi etiam addit Gallos ita distinguere, ut, si quæ merces illicitæ terrâ vel fluviis evehantur, solæ illicitæ publicentur; Sin mari, utræque & licitæ & illicitæ: Idque ex constitutione Amyralicâ, ex qua natum Gallis proverbium; *Que la robbe de l'ennemi confisque celle de l'ami.* Mornac, in *l. pen. §. ult. ff. Loc. cond. adde A. Matth. 2. de Auct. 7.*

37. Quæritur IV. An merces committantur, si culpâ solius nautæ, non domini, omiſſa professio earum fuerit? Equidem ipsas merces non committi statuo; cum commissi causa ex dolo demum oriatur, ut diximus *sup. §. 29.* qui in domino non est, & aliàs nec dolo nautæ puniretur, cujus merces non sunt; & ex alterius dolo alius. Neque verò dominium mercium à nautâ, cujus non fuit, ipso jure transferri in fiscum potest; neque à Domino, qui nihil deliquit, & de cujus facto non agitur: Constat verò sine facto domini ipsi jus suum adimi non posse: *l. ii. ff. de Reg. jur.* idque colligi etiam potest *ex l. ii. §. 2. ff. de Publ. Et. Vect.* ubi propter factum nautarum non committitur res domini, si nihil ei imputari possit; Et *ex l. 8. §. 1. ff. eod.* ubi ob factum unius heredis reliquorum portiones non auferuntur. Vid. *inf. §. 49.* At verò dupli pœnam *ex l. ult. §. 10. eod.* locum habere omnino crediderim. Sane enim culpam committit dominus, qui operâ malorum hominum utitur, *l. ult. §. 4. Naut. caup.* & explorare eum oportet, cujus fidei, cujus innocentia illi sint; *d. §. 4.* imo curare debet, eos culpâ & dolo carere, *l. 1. §. 2. ff. de Exerc. act.*

38. Quæritur V. An tunc quoque merces improſſæ committantur, cum aliâ quis viâ usus est? Affirm. si dolo & evitandæ professionis causâ id fecerit; etsi illa quoque viâ sit publica vel usitata, quia jus hoc regale vectigalium inhæ-



inhæret toti territorio, non certo ejus loco, effi in certo loco vectigal exigatur, cum ubique id fieri non possit. Et, cum illud detur pro securitate & beneficio transvehendarum mercium, quicumque per aliquam territorii partem hoc beneficio utitur, precium ejus scil. vectigal debet. Unde etiam Reip. licitum est, si pluribus viis ita iri potest, ut locus vectigalis solvendi ordinarius non tangatur, in cautelam juris sui vectigalis alia quoque loca commoda eligere, ubi vectigal, si solutum non fuit, adhuc exigi, ejusque solvendi signum quoque erigi possit; neque hoc pro novo vectigali, quod in Imperio prohibitum, habendum est, cum sit unum idemque vectigal, in subsidium tantum & cautionem hujus juris, si forrè merces locum vectigalis nondum attigerint, constitutum, indeque vulgò ein Wehrzoll vocatur; Atque hinc optimo jure Serenissimi quidam Principes ac Status, quibus vectigalia in Rheno concessa fuerant, merces verò in hujus concessi juris regalis fraudem ac præjudicium terrâ & aliâ viâ plaustris veherentur, constituerunt, ut ibi quoque vectigal ab iis exigeretur. Et hæc quoque est sententia Consultiff. Dn. PRAESIDIS, quam in Prælectionibus ad ff. tradidit.

39. Queritur. VI. Num res vectigali obnoxia quas personæ immunes non professæ sunt, in commissum cadant? Hoc affirmat *Habnius ad Wisenb. ff. de Publ. & vect. in fin per l. 4. §. 1. per l. fin. §. 3. 12. ff. eod.* Verum id legibus istis non probatur; quanquam tutius omnino sit profiteri, vel schedulas immunitatis exhibere, ut ibi subjungit. E contra verò VII. sufficere professionem mercium, effi vectigal solutum non fuerit, decisum est *in d. l. ult. §. 12. ff. eod.* quia publicano imputatur, quod non exegerit, & ex ejus bonis fisco satisfieri potest. *d. §. 12.*

40. Illud verò VIII. ex §. 37. constat, si plures navi onus impo-

imposuerint, v. g. focii, vel heredes, unius factum, remunem vectigali subripientis reliquis non nocere nec eorum portiones ideo auferri: *l. 8. §. 1. ff. de Publ. & Vect.* cujus sensus est, si pluribus fortè mercibus navi impositis, quædam res munis seu vectigali obnoxia ejus solutioni ab uno herede subtrahatur, eam non totam committi, sed tantum pro parte heredis ejus, cujus facto vectigal fraudatum est. Non verò iste sensus est, quasi & reliquæ illius heredis merces, etsi pro iis vectigal solutum sit, committantur, & reliquorum tantum heredum, quas in omnibus mercibus impositis habent portiones commissæ eximantur. At, si ab uno heredum merces illicitæ impositæ fuerint, tota navis committeretur, nisi reliquis absentibus id factum *juxta tradita §. 35. sup.*

41. Actio commissis mercibus primum in rem datur adversus quoscunque mercium possessores, adeoque & heredes, si possident: *l. 14. ff. eod.* cum enim ipso jure dominium mercium commissarum tollatur & rei vectigali adquiratur, *vid. sup. §. 33.* ei, tanquam domino actio in rem seu vindicatio competit,

42. Cum hac actione tamen alias quoque actiones ordinarias concurrere haut dubito. Ita in hoc actu verum quoque fit furtum mercium commissarum: Cum enim earum dominium non soluto vectigali ipso jure Fisco aut Puplicano adquisitum fuerit, hinc revera furtum facit, qui eas merces invito domino, Fisco scil. vel Puplicano, contrectaverit, secumque abstulerit; cum etiam furtum faciat ille, cui creditorem se simulanti ipse dominus pecuniam solvit; *l. 43. in princ. ff. de furt.* & falsus procurator, qui pro vero se gerendo debitum accipit. *d. l. 43. §. 1. l. 80. §. 5. & seqq. ff. eod.* Quanto magis ergo, si quis non accipiat à domino, sed dissimulato commissæ eas secum auferat.

43. Sed & remedium arresti, detentionis, & pignorationis

nis obtinet, ut tamdiu res fraudatoris detineri possint, donec satisfiat; Kœpp, *Decis.* 50. n. 10. vel causa cognita fuerit; arrepta enim non excludunt causæ cognitionem, si dubitetur, an vectigal defraudatum fuerit, & eo casu omnino sententia declaratoria, ut diximus, opus est, cum jure, tum moribus, ut frustra inter ea hæcenus diversitatem statuat Kœpp. *d. dec.* 50. n. II.

44. Dantur hæc actiones rei vectigali per *d. l. 14.* id est, ei, cui vectigal debetur sive ipse sit Fiscus sive locatione factâ Publicanus, sic hoc jus suum docuerit, *l. 11. §. 2. ff. de Publ. & Vect. l. 11. C. de Vect. & Comm.* Etsi enim ipsum jus regale vectigalium ac commissi in commercio privatorum non sit, sunt tamen fructus, commoda, & utilitates eorum, quæ acquiri Publicano ex consensu Fisci possunt. *d. l. II.*

45. Contra quemconque possessorem agi posse, dictum est §. 41. An autem contra heredes quoque, etsi non possidentes, agi mereium commissarum nomine possit, valde dubium videretur. Communiter id negant, nisi lis cum vivo fraudatore mota fuerit; sed hanc saltem exceptionem erroneam esse certum est, quia actio realis, quæ contra possessorem instituitur, & de quâ loquuntur, ne quidem post litem motam in heredes continuatur, uti constat *ex l. 42. ff. de R. V.*

46. Dicimus ergo contra heredes etiam non possidentes in solidum ratione commissi agi posse, non quidem actione reali, sed conditione saltem furtivâ *sup. §. 42.* quippe quam contra heredes in solidum dari constat. §. *ult. Inst. de obl. qua ex del. l. 7. §. ult. l. 9. ff. de Cond. furt.* aut simili actione. Atque hoc leges tam generaliter ac luculenter asserunt, ut ad heredes possidentes restringi nequeant: Etsi enim *l. 14. ff. de Publ. & Vect.* de herede possessore commodè satis intelligi ex cohærentibus possit, non tamen potest ita intelligi *l. 3. ff. eod.* ubi dicitur, quod ipsum fraudati vectigalis crimen ad heredem fraudantis rati-

D one

one commissi transmittatur: nunquam autem dicitur, quòd crimen transeat in possessorem, cum ille actione reali tantum quia possidet & ex propria sua possessione non autem ullo alterius facto conveniatur. Transmitti igitur crimen dicitur, cum ex ipso delecto actio in heredes datur, uti conditio furtiva. Neque intelligi ita potest, *l. 11. §. 3. ff. eod.* ubi dicitur, quod illicitarum mercium persecutio heredem quoque affligat, quod haud convenienter ad possessorem restringitur, & in neutro textu ullum possessoris vel possessionis est vestigium; Quin male actio ad heredes pertinere tam simpliciter diceretur, si ad solos possessores pertineret; quia nec omnis possessor heres, nec omnis heres possessor est, quæ duo proinde promiscue dici non possunt. Sed & iniquissimum esset, cum ad heredes pervenerit illa hereditas defuncti, in qua merces commissæ fuerunt, quæque ex earum venditione permutatione &c. intelligitur esse locupletior, eos inde non teneri, sed integram hereditatem lucrari cum damno fisci. Equidem, cum possessores rebus publicatis & evictis regressum utique habituri essent contra heredes, æquisimum est, si forte possessorum copia non sit, succurri fisco & jus in ipse heredes dari.

47. Neque obstat *l. ult. §. pen. ff. eod.* quæ nihil de commissis loquitur, sed de vectigalibus eorumque pœnis; plures enim actiones pœnales *in d. 111.* à Præatore concessæ sunt, uti, si Publicanus, ejusque familia aliquid vi ademerit aliæque *l. 1. princ. ff. eod.* Item aliæ pro compescendâ eorum audaciâ *in l. 12. §. 1. ff. eod. &c.* Hæ pœnæ non dantur in heredes *d. §. pen.* At ratione commissi, quod rei persecutionem continet, actio in eos quoque datur. Utrique juri præscribitur quinquennio, si interim mota quæstio non fuerit, *l. 2. C. de Vect. & Comm.*

48. Judicem in negotio vectigalium & Commissi esse dicimus ordinarium ejus loci Magistratum, ubi fraudatio facta, et si ab eo principe constitutus sit, vel ejus etiam vices gerat cujus vectigal fraudatum fuit. Non enim Princeps sola vectigalium commodajure privato, sed ipsum vectigal jure regalis & territorialis potestatis habet, quæ continet omnimodam Jurisdictionem & potestatem cognoscendi de causa. Atque ita jure civili hæ causæ fiscales cognoscuntur ab ipso Procuratore Cæsaris, vel eo qui fisco Principis sui præpositus est. *101. tit. C. ubi Caus. Fisc. 101. tit. C. si adv. ff. l. 1. princ. & §. 1. ff. de off. Procur. l. 9. princ. ff. de off. procons. l. 1. C. de off. Com. rer. priv. l. 1. §. 2. C. de off. Com. sac. pal. l. ult. §. 1. ff. de Publ. & vect. l. 2. §. 32. in fin. ff. de Orig. Jur. 1. pen. C. ubi caus. stat. &c.* Neque dici potest quod Princeps in propriâ causâ videatur jus dicere, quia non privatam, sed publicam ipsamque officii sui causam persequitur; quod fieri posse ostendit Celeberrimus Dn. PRÆSES in *disp. de Iudice in propriâ causâ*. Potestatem & solet hoc casu transmissio actorum peti atque concedi *resse Mar. P. 5 decis. 323.* quæ latius persequi instituti mei compendium non patitur.

Tantum.



**J**Am de *Commissi* commissa est pagina *Jure*,  
 Et jam signa canit, quæ favet, ipsa Themis.  
 Impiger Astrææ miles, suetusque palæstræ,  
 Hoc commissa loco prælia docta cies,  
 Hinc fas quam meritò Tibi nunc committitur illud,  
 Hæc studia, hos mores quo decora alta manent?

*Ita vovet, ita gratulatur ex animo*

PRÆSES.


Pro-


**P**robata seculis Avorum gloria  
Vix fera provehit nepotum nomina  
In majus, attollant decore n̄ se suo,  
Domesticas habes, *Amice*, imagines,  
Habes vetusti stemmatis STEINGENIOS,  
Quos adprobavit per trecenta secula  
Vis prompta consili laborque *muneris*  
Non *minus* Votis PALATHI Ducum,  
Rexere quondam Düffelæ qui litora.  
Non acquiescis hâc avitâ Gloriâ,  
Ad propriam sed niteris non degener!  
Bene est! Tibi STEINGENIORUM propria  
AVI, PATRIS FRATRIS que sit felicitas,  
*Icon eris sic vera stemmatis Tui.*

*Nobilissimo Domino Candidato gratulabundus posuit*

JOH. LAURENTIUS CROLLIUS,  
P. & L. G. Prof. P.









00 A 6429


ULB Halle 3  
002 928 54X




sb.

VO 17







42

DISPUTATIO JURIDICA  
DE  
**COMMISSIS,**  
UBI DE  
MERCIBUS  
**CONTRABANDO,**  
vulgò  
*CONTREBANDE Wahren/*  
OLIM PRO LICENTIA  
*HEIDELBERGÆ HABITA SUB PRÆSIDIO*  
**HENRICI COCCEJI.**  
J. U. D. ET PROFESSORIS.  
Jam vero denuo Typis excusa.

---

Sumptibus Gottlob Ernesti Struntzi Quedlinburg.  
& Afcaniensis Bibliopol. Anno 1704.

